



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber De Regno Dei, De Qvo Christvs Loqvvtvs Per Dies
quadraginta**

Flavin, Melchior de

Parisiis, 1566

De libertate à legibus humanis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29986

Ideo illa lex cum maximis terroribus data. *Exod. 19. & Hebr. 12.* Illi enim sub lege sunt, qui timore obseruant legem: sed in lege qui amore obseruant etiam si non esset lex *1. Timoth. 1.* Iustus non est lex posita. Hi autē qui sunt expertes fidei Christi, stant sub maledicto legis, habentque legem eos accusantem tam nature quam Moyfi. At nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu per legem spiritus vitæ, per quem asserimur à lege peccati & mortis in libertatem filiorum Dei vt iustitia legis in nobis impleatur per Christum. Vnde possumus insultare legi accusanti dicentes. Quid tu iudicas alienum seruum? Nam serui Christi sunt maximè liberi. *Rom. 8.*

De libertate à legibus humanis.

C A P. 22



Asertores libertatis carnis, de quibus præmonuit nos Petrus & Iudas, astruunt nos liberos à constitutionibus humanis. Vnde dicunt ritus & constitutiones Ecclesiæ in adiaphoris non mereri remissionem peccatorum, non esse iustitiam euangelij &

quod non astringant ad peccatum. Quare extra casum scandali possunt omitti sine peccato. Item secundum eos proscribuntur hæc constitutiones, Ezech. 20. Esa. 29. & Matth. 15. Sine causa me colunt docentes doctrinas & mandata hominū. Dicunt præterea quod sine verbo Dei nō sunt fingendi cultus diuini, quemadmodum Iudæi commenti sunt, Exod. 32. Et Hieroboam, 3. Reg. 12. Itidem & gentiles. Nam vera Dei cognitio inuocatio & voluntas petenda sunt à verbo Dei. Quapropter dicunt oblationem in missa, inuocationem sanctorum, cœlibatum perpetuum sacerdotum esse contra verbum Dei. Ritus tamen (inquiunt) ordinati, pro bono regimine & ordine seruando, in ecclesia obseruandi sunt præter opinionem iustitiæ aut necessitatis. Nam hoc pugnat contra doctrinam euangelij & fidei (qua sola iustificamur) si astruamus illas constitutiones placare iram Dei, ad promerendam gratiam & remissionem peccatorum. Hinc sustulerunt delectum ciborum, aliasque constitutiones sanctas à principio nascentis Ecclesiæ receptas: eo quod statueremus abstinentiam aliasque

Ezech. 20.

Esa. 29.

Matth. 15.

Exod. 32.

3. Reg. 12.

constitutiones vtilis ad promerendam gratiam: secundò quia diuinis mandatis præferebantur, & tertio demùm quod grauantur conscientias: Non enim poterant omnes seruari, & tamen iudicabant eas esse cultus necessarios. Quamobrem dānant omnia bona opera abstinētiā monasticam, vota, &c. En ruinam & exitium & pietatis & totius Reipublicæ Christiane, hoc nostro infœlicissimo æuo. Pro responsione autem animaduertendum est primùm quòd veri Dei cultus sunt in spiritu, Ioan. 4. Veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate, & psal. 49. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, inuoca me in die tribulationis, eruā te & honorificabis me. De quibus affatim, Roma. 2. & 6. & Philip. 3. & Colof. 2. Attamen quādiu sumus in carne opus est ceremoniis externis, sine quibus labimur in atheismum. Israelite enim imo tota ecclesia ab Abel habuit suas cæremonias, quas reseruarunt etiam gentiles post confusionem linguarū, Gen. 11. Vnde quia audierant ex doctrina Adæ aliorumque iustorum qui præcesserunt cataclismum, & item ab ipso Noe quòd

olim immolādus esset homo pro restau-
 ratione generis humani, immolabant ho-
 mines seruabāntque ritus aliorum sacri-
 ficiū more populi Dei, qui per illa sa-
 crificia protestabantur fidem vnici sacri-
 ficij expiatori Christi: cuius fide asseque-
 bantur remissionem peccati tum origi-
 nis tum etiam aliorum, & incorporaban-
 tur Christo fide & amore: & sic mandu-
 cabant spiritualiter Christum hominem,
 1. Cor. 10. Patres nostri eādē escam
 spiritualem manducauerūt. Habuit Noe
 suas cæremonias. Abraham sine scriptu-
 ra seruauit mādata, iudicia, & cæremo-
 nias, Gen. 26. Istæ cæremoniæ pertinent
 ad alendam societate in ecclesia ad pie-
 tatem promouent, ordo & decor seruatur
 in ecclesia. Faciunt etiam ad mysterium:
 sic ieiunia & festa statis temporibus, alia-
 que cæremoniæ quæ licet cernantur ex-
 teriūs, attamen interiūs signant spiritua-
 lia & inducunt ad illa: vt lumen in tem-
 plo adumbrat fidem, ignis charitatē, ve-
 stimenta sacerdotum virtutes quibus de-
 bent armari & ornari. Patet ex Clemen-
 te, Dionisio, Policrate, Origene homi-
 lia quinta numeri. Disciplina enim ser-

1. Cor. 10.

Gen. 26.

uanda est in ecclesia, & harmonia; & or-
do: quæ sine cæremoniis pereunt. Vnde
Apostolorū constitutiones, Act. 15. astrin- Act. 15.
gebāt fideles, & alia quæ docuit eos Chri-
stus 40. diebus quibus locutus est de re-
gno Dei & illius administratione, Act. 1. Act. 1.
quæ ore tradiderunt Apostoli ecclesie si-
ne scriptura. Vide Augustinum ad Ianua.
In c. illa. 12. distinct. Vnde Lutherus sub
mortem suam conquerebatur de suis, in-
disciplinatis post relictas constitutiones
& cæremonias ecclesiasticas & quòd lō-
ge melior erat ille populus sub Papatu. vi-
de nunc confusionem quæ intercessit in
hæreticis, quot sectæ, quot conuentitiæ
cæremoniæ: Lupus siquidem rapit & di-
spersit oues postquam desciscūt à caulis
& vnico ouili Christi pastoris. Cū dicunt
refractarij isti, quòd cultus sine verbo nō
placant iram Dei: diuersum magnoperè
habet scripturā: Nam ieiuniis orationi-
bus aliisque placarunt iram Niniuite sine
verbo mandante, Ionæ 2. Rex indicit ie- Ionæ 2.
iunium, cui in ea re tenebantur obedire
Niuitæ: quo ieiunio placatus est Deus.
Item Dauid præcepit ieiunium, 2. Reg. 1. 2. Reg. 1.
Saul, 1. Reg. 14. sine verbo Dei iubente & 1. Reg. 14.

cui, tenebantur obedire subditi. Vnde parum abfuit quin Saul animaduernerit in Ionathan morte. Vide de Elia, Elifeo, Rechabitis, Hierem. 35. Samuele, Ezechia & aliis: in libr. Reg. 1. Esd. Iud. Hest. Daniele, Ioanne Baptista, Anna prophetissa, Luc. 2. Anachoretis, quorum ieiunia alięque obseruationes placuerunt Deo, & pacarunt iram Dei, alięque plurima beneficia obtinuerunt pro se & aliis: & tamen nullum erat verbum scriptum ista iubens. Scripturę autem quas adducunt, Ezech. 20, & Esa. 29. Damnant cultũ idololatrarũ, non ieiunia & alia quibus obtinuerunt misericordiam & veniam. Nõ est recens hęc doctrina damnans & constitutiones & cæremonias ecclesię Christi. Hoc enim primum suaserũt Chærintus, Iouinianus, Vigilantius, contra quos Hieronymus: Itẽ Vualdēsēs, Vuiclefuuus, Ioan. Hus, Ioan. de Vuessalia, & ceterę id genus pestes hæreticorum. Videmus plurimas legis trãsgressiones nõ puniri morte: attamen inobedientia sacerdotis dånatur morte, Deut. 17. Ideo constitutiones Apostolorum communes toti Ecclesię, quas obseruat totus orbis Christianus

Luc. 2.

Exec. 20. &
Esa. 29.

Deut. 7.

ab oriente in occidentem, vt de quadra-
 gesima, verbo sacramētorū, orationibus
 pro iis qui in fide decesserunt, non cen-
 sentur humani sed diuini iuris; quas didi-
 cerunt ex ore Christi ante scripturam no-
 ui testamenti, sine qua stetit Ecclesia lō-
 go tempore: imò per 2000. annorum ste-
 tit sine scriptura, Ecclesia. Quantum atti-
 net ad delectum ciborum non eos dam-
 namus quasi immundos, vt pote qui sint
 à malo principio, vt docebāt Marchion,
 Manes, Tatiani, Eucratitæ, Priscilliani,
 Albigenes: sed eum delectum obserua-
 mus pro maiori abstinentia, & quia mi-
 nus alunt venerem. Enimuerò illa duo
 constitutionū genera quæ ponit August.
 ad Ianua. in can. illa. 12. dist. astringunt ad
 peccatum, vt peruium est, Act. 15. 1. Cor. Act. 15.
 11. & 14. Si enim leges ciuiles quæ subser- 1. Corint. 11.
 uiunt corporibus & fortunis, astringunt & 14.
 ad peccatum, Rom. 13. Subditi estote, nō Rom. 13.
 tantum propter iram, sed etiam propter
 cōscientiam, multo plus præpositorū Ec-
 clesiæ: quando quidem sacerdotium lon-
 gè præstat regiæ dignitati ex Chrysost. de Chrysost. de
 sacerdotio & Ambrosio. Vnde, Hebr. 13. Sacerd. &
 Obedite præpositis vestris, maximè quā- Ambr.
Hebr. 13.

do iussa illa seruiunt disciplinæ, & tendunt ad pietatem. Tametsi iustificationē, remissionem peccatorum, & vim salutis non tribuamus neque ciuilibus, neque Ecclesiasticis decretis seu constitutionibus, sed vni Christo maximè remissionē culpæ: nec spem nostram constituamus in illis: sed in Christo & eius gratia & ea causa damnat Apost. legalia. Galat. 3. Coloss. 2. Ipse interim seruauit abstinentiam, & sanctificauit sabbatum. Act. 21. Circumcidit Timoth. Act. 16. tantum damnat quòd tribuatur eis iustificatio, & vis salutis, quæ vni soli Christo tribuenda est. Itē externa obseruatio istorū est inutilis coram Deo, nisi accedat animus, vtens eis in finem pietatis, ad quam sunt ordinata. Hæc arguit Christus. Matth. 15. & tamen modo rectè ordinentur vult ea obseruari. Matth. 23. Illa oportuit facere, ea tamen conditione, ne præcipua legis & grauiora postponantur. Contra illos autem libertinos carnis seu magis seruos huius temporis, vide Cyprianum sermone de ieiunio & tentatione Christi: Itē Hieron. in comment. Hierem. 3. Nulla inquit hæresis nisi propter gulam & ventrem con-

Galat. 3.
Coloss. 2.

Act. 21.
Timoth. 16.

Matth. 15.

Matth. 23.

Hier. m. 3.

struitur vt seducat mulierculas oneratas peccatis. 2. ad Timot. 3. Psal. 13. qui deuorant plebem meã, &c. Matt. 23. Comeditis domos viduarum, &c. Interim tamen vt adimant mœstitiã conscientiã & contritionem peccatorum, cantant suos psalmos humano ingenio compositos, vt illis ceu tubis exhortationis inflamment corda suorum: sic olim vsi donatistæ, ex August. ad inquisit. Ianuar. ca. 83. Vbi fuissimè loquitur de constitutionibus humanis. Doctrinam autem quòd constitutiones ecclesiasticæ non ligent desumpsit Mart. ex Geof. in lect. 6. de vita spirit. qui dicit quòd leges humanæ non obligant nisi fundentur in iure naturali vel iure positiuo. Vnde (inquit) potestares superiores non aliud agunt quam magistri legem Dei intimando, vel docendo: cuius contrarium superius probatum est: nam quemadmodum spiritus Pauli cum adulter excommunicaretur. 1. Corinth. 5. aderat, sic spiritus Christi in congregationibus & conciliis catholicæ ecclesiæ Matt. 18. Vbi sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo in medio eorum sum & Ioan. 14. 14. Non relinquam vos orphanos: vado

2. Timot. 2.

Psal. 13.

Matth. 23.

1. Cor. 5.

Matth. 18.

Ioan. 14.

Lu. 10. & 21
 Matth. 10.
 2. Corint. 2.
 & 13.
 Matth. 5.
 Matth. 22.
 Marc. 7.
 Hebr. 13.
 Ephes. 6.
 Coloss. 3.
 Rom. 13.
 Ad Tit. 2.
 1. Pet. 2.

1. Cor. 11.

& venio ad vos: qui loquitur per os eccle-
 się & per eam obligat & astringit ad pec-
 catum. Christiana enim libertas non exi-
 mit nos obedientia parentum. Matth. 5.
 neque dominorum. Matth. 22. & Mar. 7.
 neque prælatorum Hebr. 13. vt videre est
 Ephes. 6. Coloss. 3. Rom. 13. ad Tit. 2. &
 1. Pet. 2. quando enim constitutiones spe-
 ctant bonum animę, conseruationem fi-
 dei & charitatis Christianę, pacē & tran-
 quillitatem Reip. ad coercendum con-
 tumaces & rebelles, sunt & optimę &
 obseruandę: ieiunia enim compescunt
 carnis concupiscentiam, festi dies exciēt
 mētem vt vacet Deo, faciātque spirituale
 Sabbatum proficiat in fide & charitate
 aliisq; internis virtutibus. Paulus enim
 super Christianos etsi liberos fatetur se
 habere potestatem in ædificationem. Et
 cum statuisset de cœna. 1. ad Cor. 11. in-
 quit si quis vult contentiosus esse nos ta-
 lem consuetudinem non habemus. En
 consuetudinem sine scripto de qua non
 contendendum. Præterea promittit alia
 se ordinaturum sine scripto. Christiana
 libertas non aufert ius gentium, non legē
 coniugalem, contractus iuramenta, ob-

seruantiã votorum, & promissorũ, non
 gradus affinitatis & cognationis in ma-
 trimonio quos natura decet ex August. *August. 16. ciuit. cap. 15.*
 16. Ciuit. cap. 15. Multa enim sunt homi-
 num statuta de rebus Reipublicæ neces-
 sariis & commodis, & sine quibus socie-
 tas humana nõ potest seruari, ex August. *August. 2. de doctr. christ.*
 2. de Doctr. Christiana, de quibus scri-
 ptura euãgelij ne quicquam statuit. Sine
 peccato siquidem eramus liberi à culpa
 & miseria omnique seruitute. Attamen
 fuisset diuersitas talëtorum & donorum
 & aliqui præfuisent aliis non tyrannicè
 nec pro suo commodo: nulla fuisset co-
 acta seruitus, quæ est ex peccato. Gen. 19. *Gen. 19.*
 ciuit. idque post diluuium scilicet: vnus
 hominis sub alio seruus dicitur qui ca-
 ptus in bello potuit occidi, tamen serua-
 tur vt seruiat victori: quod plus cedit in
 commodum victo, quam victori seruitus
 culpæ & miseriæ communis toti generi
 humano. Secunda seruitus sub alio ho-
 mine est particularis: nos eramus serui
 peccati, miseriæ, mortis: à qua non pote-
 ramus eximi, & apprehẽdere vitam æter-
 nam. Verum Christus qui nos occidere
 poterat morte æterna reseruauit nos li-

Galat. 4.
Hebr. 9.

2. Cor. 3.
Rom. 8. &
14.
1. Cor. 7.
2. Cor. 5.
1. Pet. 4.

Coloss. 1.

Rom. 8.

CAP. 23

Esa. 2. 9. &

11.

Psal. 71.

Matth. 10.

berans à seruitute. Galat. 4. Heb. 9. & manumisit nos vt ei seruiamus. Hæc ipsa seruitus magna censetur libertas & regnare Quocirca iusti pro magno honore vocantur serui Dei, qui seruiunt ei amore & charitate. 2. Cor. 3. Vbi spiritus Domini, ibi charitas Rom. 8. & 14. Domini sumus 1. Cor. 7. 2. Cor. 5. 1. Pet. 4. Prima & maxima libertas est in Deo, qui nulli subijcitur: in secundo gradu sunt beati expertes omnis mali & confirmati in bono: in tertio Adâ expertes omnis mali sed non confirmatus: in quarto nos Coloss. 1. eripuit nos expectantes perfectissimam libertatem in gloria quã spe tenemus. Rom. 8.

De pace regni Christi.



Mines prophetae qui vaticinati sunt de rege Messia, & regno eius promittunt nobis pacem perennem à nullo interturbandam, Esa. 2. & 9. 11. & Psal. 71. quam Iudæi sibi pollicentur per suum Messiam, sed tantummodo corporalem. Christus autem non attulit eam sed potius bella, eorum censura, Matth. 10. Non veni pacem mittere, sed